

V. Edition

De coloribus rethoricis

De verborum exornationibus tractaturi, quibus quasi vermiculatis monilibus humane lingue plectrum mirifice presignitur, propter quod abiecta conditio plebescentis humilitatis extollitur et quadam excellentiori prerogativa sublimium proceritas sublevatur, primo videndum est, quid sit verborum exornatio, secundo, quot et que sint exornationes verborum, unicuique congruum subicientes exemplum, prout brevis hora patitur et tuum, Alberte, desiderium prestolatur.

Verborum exornatio est, que ipsius sermonis insignita continetur perpolitione¹. Per hoc, quod dicit „insignita perpolitione sermonis“, debemus intelligere, quod verborum exornatio elegantiam et compositionem in se debet continere².

Elegantia est, que facit, ut unumquodque pure et aperte dici videatur, quod in Latinitatem et explanationem^{a3} distributa decenter instruit, ut elocutio cunctis sit mundata vitiorum sordibus, quibus Latini sermonis congruentia vitiatur, et, dum utemur verbis propriis et etiam usitatis, orationem nostram apertam et dilucidam reddere valeamus⁴.

Compositio est verborum constructio equabiliter perpolita, vel que facit omnes partes orationis equabiliter perpolititas⁵: Quam quidem poterimus assequi, si eiusdem littere nimiam^b a principio^c assiduitatem et si longam continuationem verborum et si continuam transiectionem verborum et continenter^d similiter cadentia, similiter desinentia verba et si eiusdem verbi nimiam assiduitatem evitaverimus et hyatum⁶. Hyatus creber vocalium concursus, qui vastam et hyantem orationem

a) expolitionem *Hs.*
tia *Hs.*

b) nimium *Hs.*

c) prinopio *Hs.*

d) continen-

1) Vgl. Rhet. Her. IV 18.

2) Vgl. Rhet. Her. IV 17 (dort zusätzlich noch dignitas).

3) Ich folge hier der Lesart Rhet. Her. 17. Zu expolitio siehe Rhet. Her. IV 54.

4) Vgl. Rhet. Her. IV 17.

5) Vgl. Rhet. Her. IV 18.

6) Z. T. in anderer Reihenfolge bei Rhet. Her. IV 18. – Der Anfang dieses Traktats bis *et hyatum* ist auch Bestandteil des Epistolare dictamen des Henricus de Isernia. Siehe T ř i š k a S. 197.